









1764.

1. Adolph, Joannes Bangott: De infanticidii notis sectione legale's delegendio.
2. Eisenhart, Joannes Fridericus: Ord. jur. ... decanus: Caroli Antonii Knappel ... solemnia inauguralia ... 1762  
dicit simul de successione ex mortuis paucis diebus  
21. I.
3. Eisenhart, Dr. Fridericus: Ord. jur. ... decanus: Joannis Christiani Reichard ... solemnia inauguralia indecet  
similique de natura et intentio communis bonorum  
inter conjuges facile iustae ... dixerit.
4. Eisenhart, Joannes Fridericus: De jure publico populi  
Romani et 1.1.52 d. D. f. d. f.
5. Eisenhart, Joannes Fridericus: De pactis dotalibus ob  
impoverientiam liberoscum hant tollendis.
6. Henckelius, Dr. Iacobus: Memoriam Dr. Iacobi Henckeli ... protector et servator ciuitatis et posteris fabri  
commendat

1765

1. Knappel, Carolus Antonius: *De jure privato populi Romanis.*

1766.

1. Triccas, Alb. Phil: *De factis quodam marchionata Neuriciensi et in iudicium iugice pretioso I. P. G. impiorum jure*

2. Knappel, Carolus Antonius: *De statu rei Romanae et principatu.*

3. Knappel, Carolus Antonius: *De jure publico orbis Romanis et libertate.*

4. Peletier, Carolus Historicus: *Legum quasundam lectionem male a critico depravatam resistit et defensio -*

1767.

1. Sommerichius, Janus Christopherus: *Maurizianus ... Nomus Richii ... protector et senatus ... civitatis et poete ... in tali commendatio -*

1767.

2. Knüppel, Carolus Antonius : *Historia auctoritatis prudenter apud Romanos. Sect. I*, proælectionibus senes his aëstori . . . præmissa.

3. Knüppel, Carolus Antonius : *Historia auctoritatis prudenter apud Romanos. Sect. II*, proælectionibus senes his liberi . . . præmissa.

4. Klugel, Georgius Simon : *De ratione, quam inter se habent, in demonstrationibus mathematicis methodus synthetica et analyticæ dissertat et lectio nes . . . in dicit.*

1768.

1. Frickius, Albertus Philippus : *De iure regnandi per genium principis.*

- 2<sup>nd</sup>: Frickius, Alb. Phil. : *De monasteriis ab Diem natalium Mariæ solitis. 2 exempl.*

3. Knüppel, Carolus Antonius : *Historia auctoritatis prudenter apud Romanos. Sect. III*, proælectionibus senes his aëstori . . . præmissa.



J. Knüppel, Carolus Antonius : Historia auctor  
latiss prudentium quod Romaneos. Sed IV, per  
Lectionibus semestri hiberni . . . praemissa.

*9,376.* *10*  
*223*  
*1766,3*

DISPUTATIO IVRIDICA  
DE  
IVRE PUBLICO  
ORBIS ROMANI  
SVB LIBERTATE

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
CONSENSV

P R A E S I D E

D. CAROLO ANTONIO KEFFEL

IN IVLEO MAIORI

A. D. XXII MARTII MDCCCLXVI

P U B L I C E D E F E N D E T

ANASTASIVS SIGISMUNDVS CVNO  
BRVNŠVICENSIS  
LL. CULTOR ATQUE SOCIET. TEVT. DVC.  
COLLEGA ORDINARIVS.

---

HELMSTADII

TYPIS VIDVÆ B. PAVL. DIET. SCHNORRII,  
ACAD. TYPogr.

ALDABERICO  
ORAZIO ROMANI  
STATUA  
MOLTO PREGATA  
CONSIDERATA  
PER ALESSANDRO  
COLONNA KIRCHI  
MAESTRA  
PIRELLA  
SIGILLUM  
CANTO



DISPUTATIO IURIDICA  
DE  
IURE PUBLICO  
ORBIS ROMANI  
SUB LIBERTATE.

PROOEMIVM.



Ex duabus juris Romani positionibus alteram, quae ius publicum spectat, illustrare aggressus sum disputatione inaugurali de iure publico populi Romani ad L. 1. s. 2. D. de I. et I. eaque delineavi formam regiminis, quam populus Romanus sub libertate, imperii ciuilis exercendi caussa, voluntate sua sibi constituerat.

A

Habet

Habet etiam subiectio, quae imperio respondet, varias quasi formas, siquidem subiecti alii alio iure vtuntur, aliis atque aliis legibus et conditionibus reguntur. Iura illa, quibus vel populus aliquis vniuersus, vel partes populi ordinesue ciuum fruuntur, paectis quaesita aut legibus sancta, faciunt partem iuris publici positivi, apud populum recepti, et explicationem eius ingrediuntur. Auctore *Vlp.* in *I. c.* ius publicum Romanorum est, quod ad statum rei Romanae spectat, ideoque ambitu suo comprehendit, ut doceantur iura populorum, qui intra fines orbis Romani fuerunt, ut conditionis in qua fuerunt, diuersitas explicetur, ut potestas in illos exerceri solita declaretur. Ad haec vero paullo explicatius tradenda eo libentius appello animum, quod et ad telam semel orsam vterius pertexendam pertinent, quodque *historia*, et *prudentia iuris publici*, et *antiquitatis iter*, ut cum *cic.* de *Orat.* *I.* 60. loquar, plurimum adiuuant et ornant jurisprudentiam, cuius cultorem me profiteor. Iuuabit in antecessum historice delineare, quibus institutis vastum illud orbis terrarum imperium a populo Romano quaesitum et consolidatum est.



CAP. I.



## C A P . I.

D E

### MAGNITUDINE ROMANA.

#### §. I.

SINGVLARE est elogium, quo apud scriptores honesti Romanis statutus populus Romanus, quod princeps populus apud princeps pellatur. Ita scribit LIV. in praefat. Iuuabit rerum gestarum populus. rum memoriae principis terrarum populi consuluisse. Et FLOR. in prooem. Lib. I, 3. Nonnihil, ut spero, ad admirationem principis populi collaturus. Idem elogium occurrit apud CIC. pro Planc. c. 4. Est haec conditio liberorum populorum, praeципueque huius principis populi, et omnium gentium domini ac viatoris. Eminere potest populus aliquis supra alios virtutibus intellectualibus et moralibus, forma ipsius reipublicae, potentia, rerum gestarum gloria, et qui sunt modi alii. Omnibus illis populus Romanus aliis gentibus fuit superior. Florebat olim Graecia doctrina, plurimis artibus, etiam imperio et bellica laude. Comparans Romanos cum Graecis CIC. Tusc. Qu. I, c. 1 dicit: *Meum iudicium semper fuit, omnia nostros aut inuenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent in quibus elaborarent.* De virtutibus moralibus dicit ibid. *Quae tanta grauitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda?* Forma reipublicae erat talis, ut ciuium animos ad amorem patriae, ad virtutes politicas et negotiosas disponeret, dominatum excluderet, potestates varias prudenter temperaret, et magnitudini Romanae, quam admiramur, ve-

A 2

lifica-



lificaret. Genus reipublicae ex triplici mixtum, optimum iudicauit CICERO, ita scribens: *Status esse optime constitutam rempublicam, quae ex tribus generibus illis, regali, optimatum et populari confusa modice.* vid. fragm. ex lib. II, de Rep. Potentia Romana erat tanta, ut orbem terrarum complexa videretur. Gloriam rerum gestarum loquuntur omnes historiae. De urbis ipsius nobilissimo adspectu dicit Tityrus apud VIRGIL. Ecl. I, v. 20. sqq.

*Vrbem, quam dicunt Romam, Meliboei, putauit  
Stultus ego huic nostrae similem - - - - -*

*Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,  
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

## §. II.

Maiestas  
senatus  
Romani.

S V M M V M populi Romani, populorumque et gentium omnium ac regum consilium erat senatus, CIC. pro domo c. 28. de quo porro dicit pro Sext. c. 65. maiores consilium senatus reipublicae proposuisse sempiternum; senatum reipublicae custodem, praesidem, propugnatorum collocaffe. Aditus in illum summum ordinem, ciuium industriae et virtuti patebat, et singulis lustris ab alterutro censore senatus lustrabatur, vt si quis ordine amplissimo indignus esset, moueretur senatu. Cyneas cum ad senatum Romanum legatus a Pyrrho missus esset, et reuersus interrogaretur, quomodo sibi placuisset senatus, respondit: sibi senatum istum visum fuisse consensum regum. Huc alludens LIV. IX, 17. dicit: *Senatum qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit.* Auctoritas senatus, vti magna erat in omnibus negotiis, quae ad reipublicae administrationem spectabant, ita se in primis explicabat in rebus, quibus extra

2246

extra urbem prouidendum erat. Si qua in Italia contro-  
uerbia dirimenda, vel ciuitas obiurganda, si cui auxili-  
um ferendum erat, de his omnibus senatus statuebat;  
eodemque modo si qua extra Italiam ad aliquos legatio-  
erat mittenda, aut ad aliquid decidendum, aut ad foe-  
dus faciendum, aut cohortandum, aut ad imperandum,  
aut postremo ad res repetendum, aut ad bellum indi-  
cendum, haec senatus curabat. Praeterea quid de lega-  
tis exterarum gentium agendum, quid eis responderen-  
dum esset decernebat. vid. SIGON. de A. I. C. R. L. 2.  
c. 2. Senatus legatis dati plura exempla vna serie occur-  
runt apud LIV. XXXVII, 49 sqq. ex quo etiam, prolatis  
ipsis SCtis, facile probari posset, quanta fuerit auctori-  
tas senatus in caussis nationum exterarum, sed non libet  
sestari tantam prolixitatem.

### §. III.

DOCUMENTVM luculentissimum magnitudinis Ro- Magnitu-  
manae est ipse orbis Romanus, vasto terrarum ambitu do orbis  
per Europam, Asiam et Africam diffusus, et ex genti- Rom.  
bus, coelo non magis quam in sole animorum, institu-  
tis, moribus inter se distantibus, compositus. Fieri non  
poterat, nec vnam tentatum est a Romanis, vt tot  
gentes in vnam societatem ciuilem cogerent, et adstri-  
ctiori imperio subiicerent, sed satis habebant eas etenus  
secum coniunctas habere, vt earum opibus atque auxiliis  
vti possent ad oppugnandum eos, qui contra potentiam  
Romanam insurgere, eamue labefactare auderent. Iudi-  
ciosè obseruat MONTESQV. de caussis magnit. et decrem.  
Rom. c. 6. imperium Romanum proprie non fuisse mo-  
narchiam aut rempublicam, sed corpus ex omnibus po-  
polis orbis terrarum coalitum, cuius caput Roma esset.  
Gradus, per quos ad imperium orbis sibi afferendum  
ascendit populus Romanus, distinguit FLORVS prooem.

A 3

L. 1.

*L.* 1. in infantiam, adolescentiam et iuuentam, siue robustam maturitatem. Infantia sub regibus fuit, prope CCL per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimiis luctatus est. Inde adolescentia per ducentos annos patet, quibus Italiam subegit. Domita Italia vere robustis et iuuenis, et par orbi terrarum esse coepit. Itaque, qui prope D annis domi luctatus est, adeo difficile fuerat dare Italiam caput, ducentis annis qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragrauit. *ID. prooem.*  
*L.* 2. Sic itaque Roma facta est caput mundi, arx omnium gentium, et gloriari audebat *cic. de provin. Consul. e. 12.* Nulla gens est, quae non aut ita subiecta sit, ut vix existet: aut ita domita ut quiescat: aut ita pacata, ut Victoria nostra imperioque laetetur. Quibus vero mediis hoc fastigium attigerit, curatius paullo indagare iuuabit.

## §. IV.

*Armis  
quaesita.* evm Romulus subito e conspectu ablatus esset, et patrum manibus disceptus crederetur, quidam Proculus Iulius prae se ferebat, Romulum coelo delapsum, sibique obuium factum mandasse: *Abi, nuncia Romanis, coelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit.* Proinde rem militarem colant, sciantque et ita posteris tradant, nullas opes humanas armis Romanis resistere posse. *LIV. I.*, 16. Hoc siue creditum sit, siue minus, instar legis fundamentalis obseruatum est in republica Romana, ut semper essent in armis. Templum Iani Quirini, cuius valvae belli tempore patebant, per septingentos annos usque ad Caesarem Augustum bis tantum clausum fuisse narratur. Resultabant ex ipsa constitutione reipublicae nutrimenta quaedam continuorum bellorum. Intelatum in ciuitate inter patres plebemque flagrabat odium, plebs libertatem tueri, patres eam quertere studebant.

Vt

Vt igitur plebis consilia turbarent, distinebant eam continuis bellis. Plebs non magnopere recusabat, intelligebat enim tutiorem libertatem esse in bello quam in pace, inter hostes quam inter ciues, *LIV. II, 23.* praeterea praeda ex hostibus acta locupletabatur, et agri quoque hostibus ademti, militibus assignabantur, vel plebs in eos deducebatur. Ex principio belli assidui sequebatur etiam, vt pacem non facerent nisi victoriam reportassem, vid. pluribus *MONTESQV. I. cit. c. i. vbi etiam honorem triumphi referat inter caussas ad pugnam incitantes.*

### §. V.

*ASSIDUE* bellaturis necesse erat, vt exercitus semper in promtu essent, idemque ad labores belli toleranter in promdos hostesque vincendos essent exercitatiissimi. Ad tu-  
vrumque egregie se comparauerant. Exercitus Roma-  
nus conficiebatur e legionibus et auxiliis. In legione  
pugnabant ciues Romani: auxilia erant copiae sociorum. Quae de his notanda sunt, fere uno contextu do-  
cet *LIV. III, 22.* *Hernici et Latini iussi milites dare ex fo-*  
*dere, duaeque partes sociorum in exercitu, tertia ciuum*  
*fuit.* -- *Fabius non permisit unum sociorum ciuum-*  
*que, sed trium populorum tres separatim acies circa vallum*  
*hostium instruxit, ipse erat medius cum legionibus Roma-*  
*nis.* Nec tamen Romani auxiliis sociorum, sed suis ni-  
tebantur viribus. De defectione post cladem Cannen-  
sem dicit Scipio apud eundem *XXVIII, 44.* *deserti ab so-*  
*ciosis, viribus nostris, milite Romano sicutimus.* Vires illae  
antiquis temporibus maiores, quam sequiore aeuo fue-  
runt. Latinis imperata auxilia denegantibus, senatus  
censebat, *civili standum exercitu esse, quando socialis coe-*  
*tus defereret. Decem legiones scriptae dicuntur, quaternum*  
*millium et ducentorum pedium, equitumque trecentorum,*  
*quod postquam narravit *LIV. VII, 25* addit: quem nunc*  
*nouum*

nouum exercitum, si qua externa vis ingrat, bae vires populi Romani, quas vix terrarum capit orbis, contractae in unum haud facile efficiant. Omnia Romanorum instituta non ad vitae ciuilis tranquillitatem, sed ad gloriam et imperii amplificationem introducta, eaque speciatim instituta militaria fuisse, vt post maximos caesos exercitus, semper maiores ex tribubus, coloniis, sociis in hostem educi potuerint, eleganter ostendit RÖSTNER. Not. Polit. ad Tacit. Annal. IV, 4. et hanc statuit praecipuam magnitudinis Romanae causam fuisse.

## §. VI.

Disciplina  
na mili-  
taris.

TOTA disciplina militaris eo comparata erat, vt milites ad operas praestandas, et rigores bellicos perfendos indurarent. Appius Claudius apud LIV. V, 6 monebat, ad disciplinam militiae plurimum interesse, insuescere militem Rom. pati taedium, et quamvis serae spei exitum exspectare, et, si non sit aestate perfectum bellum, hyemem operiri, nec sicut aestiuas aues statim autumno testa ac recessum circumspicere: aspere enim in patres inuecti erant tribuni plebis, quod in obsidione Veterum hybernacula etiam, res noua militi Romano, aedicari coepita erant. Pars disciplinae militaris erant exercitia militaria, quae erant vel Oneris, vel Operis, vel Armorum. De exercitiis oneris scribit cito. Tusc. Qu. II, 16, qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre si quid ad usum velint: ferre vallum. nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. Ad exercitium armorum pertinet quod addit: Quid exercitatio legionum? quid ille cursus, concursus, clamor, quanti laboris est? nam saepe quinque horis viginti millia passuum confessisse deguntur, et ter singulis mensibus educebantur,

VI

ut militari gradu incederent. Carthagine noua a Scipione capta, paucos dies quibus, morari ibi statuerat, exercitum copiis absumxit. Primo die legiones in armis quadratorum spatio decurrerunt: secundo die arma curare et tergere ante tentoria iussit: tertio die sudibus inter se in modum iustae pugnae concurreverunt, praepilatisque missilibus iaculati sunt: quarto die quies dita - - - Hunc ordinem laboris quietisque, quod Carthagine morati sunt, seruauerunt. LIV.  
 XXVI, 51. Exercitia operis non minus stupenda fuerunt in vallis strenendis, fossis ducendis, castris muniendis, nam castra munita, portum ad omnes causas exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quo iactati tempestate pugnae, receptum haberent. LIV. XLIV, 39. Plura vid. apud MONTES QV. de caus. Magnit. R. c. 2. Leges militares exemplis illustrat VAL. MAX. L. 2. c. 7.

## §. VII.

DVM foris exercitus Romani rem strenue agebant, et Arcana populos armis subigebant, senatus domi intendebat arca-dominis dominationis, quibus magnitudo Romana firmaretur et tunc amplificaretur. Dicuntur arcana dominationis stilo Taciti media, quibus imperantes utuntur ad auctoritatem et securitatem suam stabilierandam et conseruandam. Omnis agentia ratio senatus in componendis negotiis externis eo comparata erat, ut res Romana ubique terrarum esset superior. Efficiebant hoc non solum decretis illis publicis, quibus pro re nata de conditione populorum statuebant, exhauiendo illos variis oneribus, atterendo vires eorum, opem ferendo aliis ad opprimendum alios, ut dein utriusque dictis audientes essent, sed strenue curabant etiam legati a senatu missi, ita se gerendo, ut principis terrarum populi auctoritate se munitos ostenderent. Popilius ad Antiochum legatus missus, regi dextram porigenti, tabellas scriptum habentes tradebat, atque omnium primum id legere iubebat.

B

bebat. Illis perle&tit, cum se consideraturum adhibitis amicis quid faciendum sibi esset dixisset, Popilius virga quam in manu gerebat, circumscrivebat regem, ac, priusquam hoc circulo excedas, inquit, reddre responsum senatus quod referam. Obsupfactus tam violeto imperio, parumper cum baefitasset: faciam, inquit, quod censet senatus. LIV. XLV, 12. Cum Aetoli fidei populi Romani se permisissent, et Aciilus Consul postularer, vt quidam sine mora sibi dederentur, Phaneas, princeps legationis Aetolorum dicebat: certum habeo te imprudentia labi, qui nobis imperes quae moris Graecorum non sunt. Ad haec Consul: Nic hercule inquit, magnopere nunc euro, quid Aetoli satis ex more Graecorum factum esse censiant, dum ego more Romano imperium habeam in deditos. Minanti porro, se vinciri iussurum ni prope esset quod imperaret, legati dicebant: scire facienda esse quae imperentur. LIV. XXXVI, 28. Arcana dominationis a Romanis usurpata ad imperium in gentes sibi asserendum, acute inuestigavit MONTESQV. de Cauff. Magnit. et Decrem. Rom. c. 6. illisque prolixè expositis, notanter addit, non fuisse technas quasi fortuitas, quibus pro re nata vterentur, sed regulas constantes, quas continue sequerentur. Mihi sufficiet potiora quedam illustrasse.

## §. VIII:

Debellando superbos.

APPETEBA<sup>T</sup> populus Rom. principatum inter gentes, hinc aequo animo ferre non poterat aemulos imperii. Erat in conspectu Italiae. Sicilia, insula opulentissima. Affectabat eam vt Romanus, ita Poenus, et eodem tempore vterque votis et viribus imperium orbis agitabat. FLOR. II, 2, 3. Inde tria bella cum Poenis, non aliter quam cum excidio Carthaginis finienda. Ab Africa procedebat imperium in Europam: implorantibus

bus enim Athenis auxilium Romanorum contra Philippi Macedonis iniurias, placebat senatui opem tantis ferre supplicibus, et gestis tribus bellis cum Philippo, Perseo et Pseudo Philippo, Macedonia seruitute multabatur. Macedones statim excipiebat Antiochus M. rex Syriae, viris, opibus, armis potens, concitatus ab Annibale, hostem populo Rom. toto orbe querente. Illi vietricibus armis terra marique superato, pax ea conditione dabatur, ut Europa abstineret, Asiaque omni, quae cis Taurum montem est decederet, sicque imperium Rom. ab Europa in Asiam protendebatur. Victoriam ab Antiocho reportatam, sam esse dicebant legati eius, quae Romanos dominos orbis terrarum faceret, apud LIV. XXXVII, 45. Aetoli quo valde infesti fuerant Romanis, duriter ab eis tractati sunt. Principes Aetolorum tres et quadraginta, Romam deducti, et in latomias coniecti sunt. LIV. XXXVII, 3. Eorum legati, cum permittere arbitrium de se populo Rom. nollent, egredi templo iussi sunt, et conclamatum prope ab vniuerso senatu est: perdomandos feroceis animos esse. l. c. cap. 49.

### §. IX.

Si quos bello victos non penitus sibi subiiciebant, Incident populus esse desinenter, vires tamen eorum atque do nropes ita atterere studebant, vt ad bella gerenda fierent uos. inepiti. Ne nunc commemorem tributa, in multis annos imponi solita, Carthaginensibus in pace secunda conditiones dicebantur: vt naues rostratas praeter decem triremes traderent, elephantesque quos haberent domitos, neque domarent alios. LIV. XXX, 37. Philippo Macedoni: vt naues omnes rectas traderet; ne plus quingentis armatorum haberet, neue elephantum ullum. ID. XXXIII, 16. Regi Antiocho: vt elephantes tradaret omnes, neque alios pararet; traderet et naues longas,

gas, armamentaque earum, neue plures quam decem naues actuarias haberet. Eidem adimebatur ius milites mercede conduendi ex iis gentibus, quae sub editione populi Rom. essent, ne voluntarios quidem recipiendi. ID. XXXVIII, 38. Macedonibus: ut neque connubium, neque commercium agrorum aut aedificiorum cuiquam extra fines regionis suae esset, ipsaque Macedonia in quatuor regiones diuidebatur. ID. XLV, 29. Gentio, Illyriorum rege in potestatem redacto, in tres partes Illyrium diuidebatur. *I. c. cap. 26.*

## §. X.

Redden-  
do ob-  
noxios.

*docet* porro LIV. II. cc. Carthaginenses, Philippum et Antiochum reges, eo adactos, ut intuitu iuris belli Romanis obnoxii viuerent. Carthaginensibus in pace secunda lex scribebatur: bellum neue in Africa, neue extra Africam iuissu populi Rom. gererent. Philippo: bellum extra Macedoniae fines ne iuissu senatus gereret. Antiocho: belli gerendi ius ipsi ne esset cum iis, qui insulas colerent, neue in Europam transeundi. Europa enim, iudice FLOR. II, 8, 7, iam dubio procul iure ad Romanos pertinebat Chalcidensibus certum erat nullam societatem pacisci nisi ex auctoritate Romanorum. LIV. XXXV, 46. Achaei eosdem genti Achaeorum hostes et amicos, quos populus Rom. censuisset, iudicabant. *I. c. cap. 50.* Sors communis populorum orbis Romani fuit, quam de Rhodiis annotauit SEXT. RVE. Breuiar. c. 10. Rhodus et insulae primum liberae agebant; postea in consuetudinem parendi, Romanis clementer prouocantibus peruenierunt.

## §. XI.

Ambien-  
do patro-  
ni, ERGA gentes exteras ita agendum censebant Roma-  
ni, vt in libertate gentes quae essent, tutam eam sib-  
per-

perpetuamque sub tutela populi Rom. esse; et quae sub cinius  
 regibus viuerent, mitiores eos iustioresque respectu po-  
 puli Rom. habere se intelligerent, quod decretum a se-  
 natu legimus apud **I. v. XLV**, 18. Hinc ad se confugi-  
 entes benigne accipiebant, et multos in partes suas tra-  
 hebant. Inaudiuerat Iudas Maccabaeus de Romanis, eos  
 lubenter gentes exteris in tutelam recipere, et praestare  
 fidem, missisque legatis statim impetrabat, ut Iudei in  
 foedus et amicitiam reciperentur. **I. Maccab.** **VIII.** Fuit  
 quondam tempus, quo *regum, populorum, nationum*  
*portus erat et refugium senatus: magistratus autem impe-*  
*ratoresque Romani prouincias et socios aequitate et fide*  
*defendere studebant. Itaque illud patrocinium orbis ter-*  
*rae verius, quam imperium poterat nominari. c.c. d<sup>o</sup> Off.*  
**II.** 8. Hoc patrocinium ita gentibus exteris impertie-  
 bant, vt querelas, quas forte aduersus alias haberent,  
 audirent, et de illis cognoscerent. Ad disceptandum  
 inter Philippum et Eumenem reges, Thessalorumque  
 ciuitates legati mittebantur, et mandabatur vt ab Aeno  
 et Maronea praefidia deducerentur, maritimaque omnis  
 Thraciae ora, a Philippo et Macedonibus liberaretur.  
**LIV.** **XXXIX,** 33. Otto bello inter Prusiam et Eume-  
 nem missi a senatu legati sunt, qui vtrumque regem in pa-  
 cem cogerent. **IVSTIN.** **XXXII,** 4, 8. Patrocinium hoc  
 mirifice praedicabant Graeci, cum Isthmiis omnes Gra-  
 ciae ciuitates, quae sub dictione Philippi regis fuerant li-  
 berae pronuntiatae essent: *Esse aliquam in terris gentem,*  
*quae sua impensa, suo labore ac periculo bella gerat pro liber-*  
*tate aliorum; nec hoc finitimus, aut propinquae ciuitatis ho-*  
*minibus, aut terris continentis iunctis praefet;* maria trai-  
 ciat, ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, et  
 ubique ius, fas, lex potentissima sit. **LIV.** **XXXIII,** 19.

## §. XII.

Obligan-  
do bene-  
ficiis.

AMICOS populi Rom. fideles et officiosos demer-  
ri studebant beneficiis in ipsos collatis. In bello con-  
tra Antiochum Romanis auxilio fuerat Eumenes, rex  
Pergamenus, donatus ideo omnibus Asiae ciuitatibus cis  
Taurum montem, quas Antiochus tenuerat. **LIV. XXXVIII,**  
**39.** Beneficium in patrem collatum largissime reddebat  
Attalus filius, moriens enim, populum Rom. regni Per-  
gameni heredem scribebat. Dicit quidem **EVTROP. IV,**  
**8, 6.** Attalum, fratrem Eumenis, heredem populum  
Rom. reliquisse, sed verius **FLOR. II, 20, 2,** Attalus,  
rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, socii quondam  
commilitonisque nostri, testamentum reliquit: *Populus Ro-  
manus bonorum meorum heres esto.* Nicomedes, rex Bi-  
thyniae, regno a Mithridate pulsus, cum supplex Ro-  
man venisset, decernebatur in senatu, ut in regnum re-  
stitueretur. **IVSTIN. XXXVIII, 3, 4.** Is quoque testa-  
mento populum Rom. faciebat heredem. **EVTROP. VI,**  
**5, 1.** et sic Bithynia in prouinciae formam redigebatur.  
Omitto Aegyptum, Cyrenas, aliaque regna, suprema  
regum voluntate populo Rom. relata, per quae magni-  
tudo imperii insignia incrementa cepit. Capta Cartha-  
gine noua, Scipio obfides vniuersos bonum aximum babe-  
re iussit; venisse eos in populi Romani potestatem, qui be-  
neficio quam metu obligare homines malit, exterisque  
gentes fide ac societate iunctas babere, quam tristi subie-  
tas feruitio. **LIV. XXVI, 49.**

## §. XIII.

Non ce-  
dendo  
malis.

NECESSSE erat Romanis, principatum inter gentes  
appetentibus, ut virtutibus quibusdam, aut certe simu-  
lacris virtutum se redderent conspicuos, quibus tantum  
opus perficerent, tantumque decus sibi conciliarent.  
Neces-

Necesse eis erat, quod et factum esse dicit cic. pro Flacco c. 12. in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque renocare, nomini Romano auctoritatem inter gentes concilare, iustitiam prae se ferre, malis non cedere, laboribus non frangi, moderationem adhibere, fortitudine et intrepiditate excellere. Mos erat, inquit LIV. XLII, 62, in aduersis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis, et haec pertinacia Romanorum ignaris moris, miraculo erat. Galli Senones, exercitu Romano ad Altiam Yuso, cum urbem infesti peterent, iuuentus militaris, senatusque robur in Capitolium concendebat, ut ex loco munito Deos hominesque et Romanum nomen defendarent. LIV. V, 39. Cum in urbe ipsa caedibus et flammis ita graffarentur, ut nullum esset tempus, quod a nouae semper cladis alicuius spectaculo cessaret, nihil tamen tot operati atque obruti malis, flexerunt animos l. c. cap. 42. Alio tempore, cum eximia corporis magnitudine Gallus, quantum maxima voce posset exclamaret: *Quem nunc Roma fortissimum virum habet, procedat agendum ad pugnam!* T. Manlius se sishebat, ostensurus, se ex ea familia ortum, quae Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecit. Annibal, cum ad moenia urbis armatus fuderet, forte ager, in quo castra habebat, vendebatur, nihil ob id deminuto pretio. Quod ipsi adeo superbū et insolens videbatur, ut exemplo vocato praecone, tabernas argentarias, quae circa forum Romanum tunc essent, iuferit venire ID. XXVI, u.

#### §. XIV.

MEDIA iniusta quibus imperantes vtuntur ad com-Flagitia  
moda sua augenda, dicuntur flagitia dominationis, et domina-  
ab his sibi non temperauerunt Romani, nec cordatiorum tionis.  
repre-

reprehensiones effugere potuerunt. Aricini atque Ardeates de ambiguo agro cum saepe bello certarent, multis inuicem cladibus fessi, iudicem populum Rom. capiebant. P. Scaptius de plebe, magno natu, insinuabat populo, agrum de quo ambigeretur, iure belli publicum populi Rom. factum. Frustra vociferabantur consules et patres, pessimum facinus peior exemplum fore, si iudices in suam rem litem verterent. Plus valebat cupiditas: vocatae tribus iudicabant, agrum publicum populi Rom. esse. Turpe hoc iudicium pronunciat LIV. II, 71. victoriam honestam ex hostibus partam deformans. Similis solertia fuit Q. Fabii Labeonis, qui arbiter Nolanis et Neapolitanis de finibus agri a senatu darus, cum vtrisque persuasisset ut regredi quam progredi malent, idque fecissent, agrum in medio relictum populo Rom. adiudicauit. Decipere hoc quidem, non iudicare est, inquit CIC. de Offic. I, 10. Maior iniustitia committebatur confiscando insulam Cyprum. Regebat eam Ptolemaeus rex foederatus, sed tanta erat penuria aerarii Romani, et tam ingens fama opum Cypriarum, ut lege lata per P. Clodium, tribunum pl. Cyprus confiscari iuberetur. Ius eius insulae auarius magis, quam iustius sumus assecuti inquit SEX. R. V. c. 13. Ptolemaeum quidem omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum dicit VELL. PAT. II, 45. idem tamen Porcii Catonis, Cyprias opes Romanam aduehentis, integratatem laudari nefas esse iudicat. Achaei nimis potentes Romanis videbantur, hinc quaesita caussa belli, de qua vid. IVSTIN. XXXIV, 1. Achaeiae caput Corinthus, ( facinus indignum! ) ante pressa est, quam in numerum certorum hostium referretur. FLOR. II, 10. Aduersus Numantinos, arma deponere nolentes, mitrebatu Scipio, Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbutus. Non temere, si fateri licet, vilius caussa belli injustior. ID. II, 18. En.

18. En maculas, quae infederunt in populi Romani nomine!

§. XV.

SYSTEMA regiminis est determinatio regularum, <sup>Systema</sup> quas rector ciuitatis sequi constituit in administratione politi- negotiorum publicorum, tam respectu exterorum, quam cum respectu perfectionis internae ciuitatis stabilienda et am- plificandae. Interest salutis publicae regimen ciuitatis esse systematicum, et omnia aptissime connecti ad felicitatem populi promouendam: quae, quia pro diuerso statu populorum et terrarum aliis aliquis mediis est procuranda, vel procurari imperantibus videtur, oriuntur diuer- sa systemata regiminis, alia sapienter electa, alia pro libi- dine arrepta. Systemata politica maxime nobilitata, re- censet Perill. Baro de BIELEFELD in *Instit. Polit. P. 2. c. 4. §. 16 fgg.* Systema quod Romani inde ab initio con- stanter et uno tenore secuti sunt, non fuit ut omnia oc- cuparent, et orbem terrarum uno summo imperio con- tinerent, satis enim illis erat Latinos habere socios, reli- quos Italos foederibus sibi adstrictos: postea etiam extra Italiam multis populis concedebant ut essent liberi et im- munis, et foedera ita pangere solebant, ut foederati maiestatem populi Rom. comiter conservarent. Per haec, aliaque adducor ut statuam, satis recte dici a c. c. pro Flacco c. 12, eam magnitudinem animorum in maiori- bus fuisse, ut in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque reuocarent, adeoque Romanos praerogativa principis populi superbire voluisse, vnde sistema illorum appello Systema principatus. Hanc sen- tientiam confirmari arbitror per ea, quae de prudentia Romanorum commentatus est MONTESQV. de cauiss Magnit. et decrem. Rom. Cap. 6.

C

CAP.

## C A P. II.

DE

IVRE PUBLICO ORBIS ROMANI  
SVB LIBERTATE.

## §. I.

Divisio  
populo-  
rum.

**T**RACTATIO de iure publico Orbis Romani postular, ut explicitur iura atque obligationes populorum et ciuitatum, quae intra fines imperii Rom. fuerunt; et quia diuersi generis fuisse noscuntur, a divisione in species, quae virisque subiectae fuerunt, ordiendum videatur. Monet SPANH. in *Orb. Rom. Exercit. II.*, c. 10, populos orbis Romani distingui solitos in populos liberos, regna et prouincias. Tuetur hanc divisionem auctoritate CIC. in *Verr. III.*, 89 dicentis: *Lugent omnes prouinciae, queruntur omnes liberi populi, regna denique iam omnia de nostris cupiditatibus et iniurias expostulant.* Sufficere poterat oratori pro scopo proposito haec enumeratio, sed inde non euincitur eam esse completam. Addit ipse alibi speciem quartam, pro *Deiot* c. 10 dicens: *Cuius tanti furoris fuit omnes reges, omnes liberos populos, omnes socios omnes prouincias -- contra se unum excitare.* Memorantur praeterea foederati populi Romani, ita ut a sociis discernendi videantur. Et vt in re nota ambagibus non vtar, constabat orbis Romanus Italia et ditionibus extra Italiam. Respectu iurium Italia dividetur in Latium, Italiam, et prouinciam Galliae. Extra Italiam erant populi liberi, reges, socii, foederati, prouinciae, quibus pro statu rerum, vel meritis in populum Rom. ius diuer-  
timode praescriptum erat.

## §. II.

## §. II.

TAM intra Italiā quam extra eandem a populis Diuīsio  
fecernēdae sunt ciuitates sive oppida, non enim singu- ciuita-  
lae ciuitates in Italia, perinde ac populi, ius aut Latii, tum.  
aut Italicum aut prouinciae Galliae sunt adeptae, sed pe-  
culiaribus nominibus sunt appellatae, et constitutionem  
iuris sibi propriam habuerunt. Quasdam recenset cīc.  
pro Sext. c. 14. Nullum erat Italiae municipium, nulla  
colonia, nulla praefectura. Et similiter Philipp. II, 24.  
Horum flagitorum iste vestigiis omnia municipia, praefec-  
turas, colonias, totam denique Italiam impressit. O-  
mittit oppida foederata, quia post ciuitatem iam ade-  
ptam, in numerum municipiorum relata erant, de quo in-  
tra pluribus exponendum. Similiter quae in prouinciis  
erant ciuitates, non omnes ad formulam prouinciae ad-  
actae sunt, sed quaedam pro meritis suis libertate aut  
immunitate donatae, et in amicitiam receptae sunt. Ex  
dictis apparet, si ea, de quibus nunc porro praeципien-  
dum erit, ordine et distincte tradere propositum est, id  
rectius fieri non posse, quam si diuersa iurium subiecta  
per sectiones distribuantur. Dicam igitur separatim de  
iure populorum, prouinciarum et ciuitatum, tandem  
que quaenam per ciuitatis Romanae largitionem mutatio  
acciderit, commonstrabo.

## IVS POPVLORVM.

## §. III.

ROMA, in Latio condita, finitimos habebat Albanos, Ius Latii.  
Rutilos, Volscos, Aequos, Hernicos, aliosque Latii  
incolas, bellis quae cum Romanis gesserunt nobilitatos.  
Ex foederibus tandem cum illis initis constitutum est Ius  
Latii, commodius eis iuribus, quae aliis populis con-  
cessa

cessa sunt, consanguineos enim Romanorum se dicebant Latini, et concessisse ut Roma caput Latio esset. **LIV.** **VIII, 4.** Ius Latii socios nomenque Latinum daorum iuriū Quiritium reddebat participes, iuris sacerorum et iuris suffragiorum. Communio sacerorum rursus duplex erat, sacerorum Diana et feriarum Latinarum. Sacra Diana communia introducebat Seruius Tullius, Deos conlocatos mire laudando, sicque perpellendo ut Romae fānum Dianae populi Latini cum populo Rom. facerent. **LIV. I, 45.** Feriae Latinae ex instituto Tarquinii Superbi coniunctim cum XLVII Latii populis in monte Albano celebrabantur, in honorem Iouis Latialis, cui taurus immolabatur, ex qua communī viētima singulis populis pars sua dabatur. Ad ius suffragii quod attinet, id ira datum Latinis videtur, vt non nisi ad leges iubendas et iudicia facienda vocarentur, nec tribum certam haberent in qua suffragia ferrent, et ne ea ferrent, ex vrbe exire iuberi possent. In iudicio M. Postumii *stella allata est*, vt sortirentur vbi Latini suffragium ferrent. **LIV. XXV,** 3. Ut ex vrbe exire iuberentur Latini, perraro accidisse, sed nihil acerbius ferre solitos esse, memorat **cic.** *pro Sext. c. 13.* Audebant aliquando Latini a Romanis postulare, vt alter Consul ex Latio crearetur, senatus pars aqua ex vtraque gente esset. Sed ad hanc vocem adeo excandescebat T. Manlius Consul, vt gladio cinctum in senatum venturum se esse palam diceret, et quemcunque in curia Latinum vidisset, sua manu interremptum. **LIV. VIII, 5.** Ad bina illa iura additum, vt, qui apud Latinos magistratum gessisset, ei per Latiū ciuitas Romana pateret. **PLIN. Panegyr. c. 37,** ibique *Gesnerus.* Ceterum Latini suis vtebantur magistratibus suisque legibus, nisi fundi facti essent, militabant cum Romanis tanquam socii, tributa et vestigalia pendebant, adeo ut eos stipendiarios appelleat **LIV. VIII, 8.**

§. IV.

## §. IV.

PROPRIE sic dicta Italia in multas regiones multos ius Ita-  
que populos descripta erat, eamque intra ducentos an- liac.  
nos subegisse Romanos, dicit FLOR. proem. I, 6. Mul-  
ta bella cum Italibus gesta, multa foedera cum eis percussa,  
ex quibus tandem ius unum manavit, quod, quia pluri-  
que Italici in eo conuenerunt, ius Italicum est appella-  
tum. Capita iuris Italici sigillatum ut recenseantur, silen-  
tibus priscis annualibus, hoc tempore non esse postulari-  
dum, dicit SIGON. de A. I. Ital. I, 21. Deterius fuit  
Latinitate, non habuerunt Itali ius suffragii, nec per ma-  
gistratus gestos ipsis aditus ad ciuitatem Rom. patuit.  
Militarunt Romanis et tributa eis persoluerunt; quod  
enim Augustus Imp. Italiae immunitatem a tributo capitum  
et soli concessit, idque ius Italiae, item iuris Italici auxi-  
lium dici suevit, non pertinet ad tempora reipublicae  
liberae. Illud vero ab hoc loco non plane alienum vide-  
tur, respectu fundorum in solo Italico ius ita esse consti-  
tutum, ut dominium diuidetur in Quiritarium et Bo-  
nitarium, et res in mancipi et nec mancipi. Ita enim VLP.  
Fragm. Tit. XIX. §. 1. Omnes res aut mancipi sunt, aut nec  
mancipi. Mancipi res sunt praedia in Italico solo, tam rustica,  
qualis est fundus, quam urbana, qualis domus. Item iura  
praediorum rusticorum, velut via, iter, actus et aquaeductus.  
Item serui et quadrupedes, quae dorso colloue domantur,  
velut boves, muli, equi, asini: ceterae res nec mancipi  
sunt. Res mancipi vocabantur quae erant in mancípio,  
h.e. in dominio non qualicunque, sed proprio iure ciui-  
um Romanorum, sive ex iure Quiritium, hinc diceba-  
tur ius Quiritarium. Non poterant abalienari nisi per  
solemnitates, ut nexus, aut in iure cessione. Nexus ap-  
pellabatur mancipacionis follennitas, quia per eam res  
mancipi e nexus prioris domini in nexum accipientis  
transibant, et follennitas ista praestabat dominum Quiri-  
tarium

tarium a periculo litis vacuum. Nec mancipi res erant in bonis, quod dicebatur dominium Bonitarium, earumque periculum erat penes emtorem, nisi stipulatione de euictione cautum esset. De hac diuisione rerum et dominiorum vid. in primis FR. CAR. CONRADI de veris mancipi et nec mancipi rerum differentiis.

## §. V.

Jus Gal-  
liae.

TERTIVM Italorum genus fuere Galli Cisalpini, in multis nationes distributi, et aliis aliquique bellis ad societatem Romanorum traducti, quo facto vna omnism prouincia facta, eaque uno nomine citerior ac regata Gallia appellata, quia mores Romanos cum vsu togae Romanae accepit. Iniquioribus quam reliqua Italia foederibus in amicitiam suscepta, et tertio quodam iuris genere est affecta, quod et Latinorum et Italicorum iure deterius fuit. Administrata enim est instar prouinciae, et in hoc tantum caeteris prouinciis praestitit, quod Galli in auxiliis militarunt, cum reliquorum prouincialium auxilia, nisi quid forte extra ordinem acciderit, non sint accepta. Desumsi haec ex SIGON. de A. I. I. L. 1, c. 26. Quod vero Galliae administrandae ratio a prouinciae formula petita est, factum esse videtur, quod Gallos ferocios et nomini Romano infestos cognoverant, ideoque ut quiescerent, magistratus Rom. subiiciendos censerent. Nam et ipsa Italia gravioris alicuius belli causa praetoribus aut proconsulibus decreta legitur, quod et Punico, et Marsico bello, et post bellis saepe ciuilibus factum est. ID. I.c. cap. 21.

## §. VI.

Populi-  
liberi.

POPVLOS extra Italiam deuictos in prouinciae formam redigere solebant Romani, praeficiendo illis magistratus Romanos, et adimendo ius patrium: quod, si non

non facerent, restituendo viatos in statum pristinum, libertatem eis dare dicebantur. Erant itaque populi liberi ad Romani potius iuris consuetudinem, quam ad veritatis rationem, quibus viatis ius suarum legum, magistratus patrii, et agrorum suorum concesserant. Post Persen debellatum res Macedonicas ita componebant Romani: *Omnium primum liberos esse iubere Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, ventes legibus suis, annuos creantes magistratus.* LIV. XLV, 29. Cicero proconsul in Asia, in edicto suo prouinciali multa secutus erat Seeuiae: in iis illud, *in quo sibi libertatem censent Graeci datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus.* ad Attic. VI, 1. Quando itaque ICtus Proculus in L. 7, §. i D. de Capt. et postlim. dicit: *Liber populus est is, qui nullius alterius populi potestati est subiectus,* illud intelligendum secundum consuetudinem Romanorum, ut non excludat omnem potestatem exigendi quasdam prestationes, sed eam quae exserebatur ademptione iuris patrii, et instituzione magistratus Romani. Quod vero ab eodem additur: *At sunt apud nos rei ex ciuitatibus foederatis, et in eos damnatos animaduertimus, accipiendo puto de oppidis foederatis, de quibus in sequentibus dicetur, ut proinde opus non sit operosa eiusmodi conciliatione, qualem instituit GROT. de I. B. ac. P. I, 3, 21, nec distinctione temporum, quam adhibuit PVFEND. de I. N. et G. VIII, 9, 4.* Pars libertatis erat immunitas a praefidiis Romanorum. L. Antius pro tribunali pronuncians, S. P. Q. R. Illyrios esse liberos iubere, adiiciebat: *praefidia ex omnibus oppidis, arcibus et castellis sese deducta-* rum. LIV. XLV, 26.

### §. VII.

*Qui beneficio populi Rom. sinebantur esse liberi, Erant in illis ita dabatur libertas ut essent in fide. Opponebantur fide P. R. inter*

inter se, esse in fide et esse in ditione. Samnites a Romanis ius belli aduersus Sidicinos perebant, quoniam hic nec in fide populi Romani, nec in ditione essent. LIV. VIII, 1. Fides denotabat idem, quod in iure feudal, fidelitas, nempe primitudinem promouendi commoda, et auertendi damna, quod etiam indicat FLOR. III, 1. 2. dicens: regnum Numidiae in fide et clientela Romanorum fuisse. Hinc non obstante libertate, a populis liberis tributa, commeatus et hospitia etiam militaria quandoque exigebantur. Macedonas iubebant liberos esse, sed tributum dimidium eius, quod peperdissent regibus penare populo Rom. LIV. XLV, 29. Graciam placere liberam esse, semper praeferebant Romani, attamen legati Atheniensium exponebant, frumenti sibi centum millia imperata, ne deesset officio confecisset, et alia quae imperarentur praestare paratos esse. Chalcidensibus querentibus se in tecitis hyeme pariter atque aestate nauales socios habere, respondebatur: Sociorum naualium neminem praeter magistros in hospitia deduci aequum censere senatum. LIV. XLIII, 6. regulariter enim populi liberi immunes erant ab hospitiis militum. Ex dictis intelligimus, quid sibi velit CIC. pro Balb. c. 8. dicens: De nostra republica, de nostro imperio, de nostris bellis, de victoria, de salute, fundos populos fieri noluerunt.

### §. VIII.

Populi  
immuni-  
nes.

BENEFICIO libertatis addebatur interdum ob merita singularia beneficium immunitatis a tributis, idque si obtinere debebat, speciatim promulgabatur. Philippo rege, Macedonibusque deuictis, senatus Rem. omnes Graecos, qui sub ditione Philippi fuerant, liberos, immunes, suis legibus esse iubebat. LIV. XXXIII, 18, Graeciae enim, ob antiquam gentis gloriam, libenter honorem deferebant Romani, eamque benignius habebant. Concessi

cessi et conseruati huius beneficii fructum ferebant, ut Graeci in fide Romanorum constantius manerent. Sudentibus Aetolis amicitiam cum Antiocho, quod is liberaudae Graeciae caussa in Europam traiecerat, respondebat vnum e Chalcedonenis principibus: nullam ciuitatem se in Graecia nosse, quae aut praefidium habeat, aut stipendum Romanis pendat. LIV. XXXV, 46. Bello cum Antiocho confecto, decem legati qui Roma venerant, ciuitatum cognitis caussis, aliam aliarum fecerunt conditionem. Quae stipendiariae regi Antiocho fuerant, et cum populo Romano senserant, iiii immunitatem dederunt. Nominatim praeterea Colophonis, qui in Notio habitant, et Cymeis et Milesis immunitatem concederunt. Clazomenis super immunitatem et Drymusam insulam dono dederunt. LIV. XXXVIII, 39. Rege Illyriorum Gentio in potestatem redacto, S. P. Q. R. Illyrios esse liberos iubebat: non solum liberos, sed etiam immunes fore Isenses et Taulantios, - quod incolimi Gentio ad Romanos defecissent. Daorseiis quoque immunitatem dare, quod relicto Carauantio, cum armis ad Romanos transiissent. LIV. XLV, 26.

## §. IX.

REGES in orbe Romano non alia conditione sine Reges. bantur esse, quam vt in fide et clientela populi Rom. es- sent. Hieroni Syracusano, classem cum commatu Romanis submittenti, responsum dabatur a senatu: *Virum bonum egregiumque socium Hieronem esse, atque uno tenore, ex quo in amicitiam populi Romani venerit, fidem coluisse, ac rem Romanam omni tempore ac loco munifice adiuuisse.* LIV. XXII, 38. Ingruente bello aduersus Perseum, Ro- mani auxilia a Mafinissa rege Numidarum, ceterisque sociis omnibus acciuerunt, et Eumeni, regi Bithyniae denunciatum, ut bellum summis viribus iuuaret. IVSTIN. XXXIII, 1, 2. Antiochus, Syriae rex, per legatum excusabat, quod si- pedia

D

pendia serius quoad diem praestaret, addens: imperaret sibi populus Romanus, quae bono fidelique socio regi essent imperanda, se nullo usquam cessaturum officio. LIV. XLII, 6. Eiusdem legati alio tempore referebant: regem haud secus quam Deorum imperio legatorum Romanorum iussis paruisse. Responsum ab senatu est: Antiochum recte atque ordine fecisse, quod legatis paruisse. ID. XLV, 13. Regem Deiotarum excusaturus Cicero, quod ex partibus Pompeii contra Caesarem fecisset, dicit pro Deiot. c. 5. *Venit euocatus, ut is, qui senatus parere didicisset.* Animum Romanorum erga reges ita describit Mithridates apud IUSTIN. XXXVIII, 6, 1 et 7. Non dilecta regum illos, sed vires ac maiestatem inseque: neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatos. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixisse.

## §. X.

Socii et  
foede-  
rati.

socii qui dicebantur, non erant diuersum a reliquis populorum genus, sed hoc titulo honorabantur, qui bene de Romanis meriti erant. Syphacis filio, Verminae, petenti ut rex, sociusque et amicus ab senatu appellaretur, respondebatur: pacem illi prius petendam a populo Romano esse, quam ut rex, sociusque et amicus appelletur: nominis eius honorem pro magnis erga se regum meritis dare populum Romanum confusse. LIV. XXXI, 11. Ex hoc loco planius discimus quinam speciatim dicti sint socii, quam ex eis quae tradit SPANH. Orb. Rom. Exer. II, c. 10, p. 205 sq. Quo loco quando porro dicitur, foederatos proprios appellatos, qui non bello victi, sed vltro ac pari iure et conditione se ad rempublicam Romanam adiunxere, hocque nomen postea ad alios esse extensum: et deinceps pag. 209 generali foederatorum vel sociorum etiam appellatione liberas ciuitates, liberosue populos continet, non praetermittendum arbitror, liberos

beros et foederatos rectius distingui. Ita sane c. 1. pro Balb. c. 8. Cum aliquid populus Rom. iussit, id si est eiusmodi, vt quibusdam populis *sive foederatis sive liberis* permittendum esse videatur. Et iterum cap. ii. *Commune est liberorum populorum, non proprium foederatorum.* Sic etiam Proculus in L. 7, pr. D. de Capt. et postlim. Non dubito quin foederati et liberi nobis externi sint. Licebit eos sic distingue: Cum foederatis societas et amicitia icto foedere contracta erat; cum liberis tantum, non intercedebat foedus.

### §. XI.

INTER tria genera foederum, que distinguit Me-Dediticii. nippus, Antiochi legatus, apud LIV. XXXIV, 56, primo loco ponit illud, *vbi omnia ei qui armis plus posset, dedita essent.* Senatus Romanus negabat deditio[n]em esse foedus, respondens legatis Samnitium: Campanos *non foedere, sed per deditio[n]em in fidem venisse.* ID. VIII, 2. Ad hanc necessitatē se redactos videbant, cum frustra a Romanis petiissent, vt se contra vim atque iniuriam Samnitium tuerentur. Tunc enim, vt Romani certe sua defenderent, princeps legationis Campanorum ita deditio[n]em faciebat: *Itaque populum Campanum, urbem Capuam, agros, delubra Deum, diuina humanaque omnia, in vestram patres conscripti, populique Romani ditionem deditus: quicquid deinde patiemur, dediticii vestri passuri.* Effectus deditio[n]is erat, vt agrum urbemque factam populi Romani statuerent, et feciales ad res repetendas mitterent, bellum solenni more indicentes, quia non redde-rentur. LIV. VII, 31 seq.

### §. XII.

FOEDERA ab antiquis temporibus ita pangere sta- De mai-  
tuerant Romani, vt in illis res Romanae esset superior, et fatale con- hinc seruanda.  
D 2

hinc paullatim foederibus lex adscribi coepit: ut foedera-  
ti maiestatem populi Rom. comiter conseruarent. Docet  
cic. pro Balb. c. 16 in foedere Gaditano legem hanc  
ad iunctam fuisse, eamque sic interpretatur: verbum con-  
seruandi imperantis esse, non precantis; illumque po-  
pulum in superiori conditione caussaque ponи, cuius ma-  
iestas foederis sanctione defenditur. Comiter significat  
benigne et non grauate, et alterius maiestatem conser-  
uare, interprete GROT. de I. B. ac P. I, 3, 21, 1, est,  
tum operam dare ut eius imperium in tuto sit, tum ut  
digniras, quae maiestatis nomine significatur, ei constet.  
Conditions pacis cum Aetolis sic concipiebantur: Im-  
perium maiestatemque P. R. gens Aetolorum conseruato  
fine dolo malo. Quod dolus malus abesse iubetur, ex-  
probrat Aetolis perfidiam non semel commissam.  
Quamuis autem non erat in omnibus foederibus, ut foe-  
derati maiestatem P. R. comiter conseruarent, satis ta-  
men euicit SPANH. in Orb. Rom. Exerc. II, c. 10 foedera  
a Romanis ita inita esse cum exteris nationibus vel regi-  
bus, ut conditionem haberent, superiorem agnoscendi  
populum Romanum, maxime vbi creuit res Romana, il-  
liusque populi reverentia ac metu paullatim vicini, et  
procul etiam positae nationes regesque tenerentur. l. c.  
pag. 210.

## IVS PROVINCIA RVM.

## §. XIII.

Origо  
prouin-  
ciarum.

NOVAM populos deuictos in potestate habendi ra-  
tionem instituebant Romani, postquam extra Italiam  
progressi, Siciliam occupauerant. Populis intra Italiam  
libertatem suarum legum suorumque magistratum non  
eripuerant, agros nunc omnes, nunc pro parte ademe-  
rant, eosque vel in publicum reipublicae patrimonium  
redigē-

redegerant, vel militibus aut inopi plebi diuiserant, percepturne inde redditus quosdam, quibus aerarium locupletarentur. Extra Italiam cum arma victoria circumferre coepissent, instituta pristina inuerterebant. Populos deuictos legibus suis, ac magistratibus ius dicentibus spoliabant, agros vero relinquebant sub certo et annuo vestigali. Hoc facientes, regionem in prouinciae formam redigere dicebantur, et primum huius rei exemplum derunt Sicilia in potestatem redacta, de qua dicit c.c. in Verr. I, 2. *Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi Rom. applicuit: prima omnium, id quod ornementum imperii est, prouincia est appellata: prima docuit maiores nostros quam praeclarum est exteris gentibus imperare. Causae ob quas prouincias instituerunt, videntur fuisse, ut gentes exteris moribus et institutis populi Rom. assuescerent, easque adstrictius sibi subiectas haberent.*

#### §. XIV.

**PROVINCIA** erat regio, quae aut armis deuicta, Formula aut quounque modo in potestatem adducta, magistratui prouinciae Romano administranda subiiciebatur. Saepe de eiusdem regionis ciuitatis, pro meritis earum diuersimode statuebatur, ut aliae fierent liberae et immunes, aliae stipendiariae. *Ciuitatum cognitis cauiss, decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem. LIV. XXXVIII, 39.* Si quibus ius suarum legum et magistratum adimebatur, in prouinciae formam redigi dicebantur, et ius quod accipiebant, dicebatur formula prouinciae. Haec non ubique erat eadem. *Inter Siciliam ceterasque prouincias, inquit CIC. in Verr. III, 6, in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod caeteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, - - aut censoria locatio constituta est - - Siciliae ciuitates sic in amicitiam fidemque receperimus,*

*ut eodem iure essent, quo fuissent. Iudicia quoque aliter constituta fuisse in Sicilia quam in aliis prouinciis, docet ID. in Verr. II, 13. Siculi hoc iure sunt, ut, quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiusdem ciuitatis, ut de eo praetor iudices ex P. Rupili decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur, vid. et reliqua.*

## §. XV.

Magistratus in prouincias duo mittebantur, Praeses et Quaestor: ille, ut ius diceret, et rem belli, viciales, vbi opus esset, administraret; hic, ut rem pecuniariam curaret. Inter vtrosque ea debebat esse coniunctio, quae liberorum necessitudini proxima esset. CIC. ad Fam. XIII, 10. Praesides ex primituio instituto erant Praetores, quorum etiam numerus ampliatus est; quod orbis Romanus prouinciis auctus erat. Si vero bellum gerendum erat, quia id ab initio inter munia consularia fuerat, loco praetoris consul ibat in prouinciam. C. Mum-mio, praetori creato, euenerat Sardinia, sed ea propter bellum magnitudinem prouincia consularis facta. Gracchus eam fortitetur. LIV. XLI, 8. Inualuit postea, ut etiam consules post gestum in vrbe consulatum in prouincias irent, et lege Sempronia C. Gracchi fancitum, ut prouinciae consulares quotannis ante comitia consularia decernerentur a senatu. CIC. Orat. de prouinc. Conf. Et SALLVST. bell. Iugurth. c. 28. Lege Sempronia prouincia futuris consulis, Numidia atque Italia decretae. Prouincias a senatu decretas aut comparabant inter se, aut sortiebantur. Vti vero Proconsules, ita etiam Propraetores dicti sunt, non eodem semper significatu: nam promiscue sic appellabantur, et qui ex consulatu ac praetura prorogatum habebant imperium, et qui ex alterutro prouincias sortiti erant,

erant, et qui priuati cum imperio consulari aut praetorio prouincias a populo aut a senatu acceperant. SIGON. de A. I. Prou. L. 2, c. 1, p. 139. Antequam praefides in prouinciam ibant, decernebatur a senatu latitudo prouinciae, magnitudo exercitus, stipendum in milites, viaticum, siue sumtus itineris, comitatus, atque hoc decreto ornari prouincia dicebatur. Comitatus comprehendebat multos adiutores et ministros, sed libera adhuc republica ab eo aberant feminae.

### §. XVI.

POTESTAS praesidum complectebatur iurisdictio Munici-  
nem et imperium militare: illi vacabant hieme, huic di-  
cabant aestatem. Hinc c. 1c. ad Attic. V, 14. Erat mibi  
in animo recta proficisci ad exercitum: aestiuos menses reli-  
quos rei militari dare, hibernos iurisdictioni. Audiebant  
autem querelas vel pro tribunali, in accessu populari,  
vel domi et in cubiculo. Constatre inter omnes, scribit  
c. 1c. ad Quint. fratr. I, 1, nullius inopiam ac solitudinem,  
non modo illo populari accessu ac tribunalii, sed ne domo qui-  
dem ac cubiculo esse exclusam. Ut aditus essent faciliores  
edicebatur forum, interdum per singulas ciuitates, inter-  
dum ita, ut ad eundem locum plures conuocarentur.  
De se ipso scribit c. 1c. ad Attic. V, 2, foro quod egi ex Idib.  
Febr. Laodiceae ad Cal. Maias, omnium dioecesum praeter  
Ciliciae, mirabilia quaedam effecimus. Ius reddebat prou-  
vincialibus partim ex formula prouinciae, partim ex le-  
gibus in vrbe latis, pr. I. de Atil. tut. in primis vero ex  
edicto, quod ad exemplum praetorum urbanorum pro-  
ponebant prouinciam ingressi, ut sciretur quomodo ius  
dicturi essent. Constatbat illud capitibus partim tralatitiis,  
partim nouis. Edicto quod Cicero in Ciliciam iturus  
Romae composuerat, addebat quae publicani rogauerant,  
ut ex Appii edicto totidem verbis transferret in suum.

In

In capite quod pertinebat ad minuendos sumtus ciuitatum, erant quaedam noua, salutaria ciuitatibus. *ad Fam. III, 8.* De criminibus iidem cognoscebant ex legibus, quae Romae de quoque crimine latae erant. Imperium continebat totius rei militaris gubernationem in prouincia. Plura desiderantibus satisfaciet SIGON. *de A. I. P. L. II.*

## §. XVII.

Munia  
quaestori-  
ris, QVAESTORES prouinciarum praesidi dignitate erant proximi, potestatem a populo accipiebant, eius enim suffragii eligebantur, et dein sortiebantur quinam in urbe manerent, quinam vero in prouincias, et in quam quisque iret. Non semper eodem tempore cum praesidiis in prouinciam ibant, et ab his, sine successore decedentibus, praeponebantur prouinciae. Testis horum omnium sit Cicero. Laetatur ille *ad Fam. II, 19.* quaestorem sibi obtigisse C. Coelium. Sperat eam sortem coiucundiorum sibi fore, si ad eam necessitudinem quam fors tribuisset, consuetudo quoque accederet. Postea, cum nihil de aduentu scriberetur, verebatur ne ante quam Coelius in prouinciam venisset, ipse de prouincia discederet. De eodem scribit *II, 15.* Ego de prouincia decedens, quaestorem Coelium praeposui prouinciae. Puerum inquies? at quaestorem, at omnium fere exemplo, neque erat superiore honore illus quem praeficerem. Munus quaestoris erat pecuniam publicam curare, quae aut ex aerario depromta, in usus prouinciae expendenda, aut a prouincia exacta in aerarium esset referenda. De rationum referendarum iure vetere, et recentiore per legem Iuliam introducto, ut apud duas ciuitates prouinciae rations relinquenterur, et totidem verbis referrentur ad aerarium, praecipua hauriri possunt ex cic. *ad Fam. V, 20.*

## §. XVIII.

## §. XVIII.

qui ex prouinciis populo Rom. obueniebant redi-  
vestigia-  
tus et emolumenta , dicebantur vestigalia , et compre- lia pro-  
hendebant Decumas , Scripturam , Portoria , aliaque uincia-  
rum . Quia agri , quos Romani intra Italiam possidebant , non  
sufficiebant alendas tantae hominum multitudini , ita ins-  
tituebant , vt Siciliae , Sardiniae , Africæ , Hispaniae ,  
Asiae , prouinciis factis , vestigia imponerent , quod per-  
petuo annonam Vrbi suppeditaret . Exigebatur illud ad  
modum fructuum , et erat pars decima fructuum , vnde  
Decumarum appellatio . Non soluebatur pecunia sed  
frumento , illiusque summa in tabulis publicis scribeba-  
tur , secundum quas idem modus Romae reddi debebat .  
Exigente necessitate imperabatur frumentum decumanum ,  
eiusdem quantitatis , cuius primæ decumæ fuissent , et  
frumentum imperatum , quod ciuitatibus aequaliter distri-  
buebatur . Pro vtroque pretium a senatu constitutum  
soluebatur : c. c. in Verr. III, 70. Exigebantur etiam in-  
terdum decumæ vni , olei et frugum minutarum . i. d. in  
Verr. III, 7. Licebat porro praesidibus frumentum in cel-  
lam sumere ad alendam familiam . Cumque more inua-  
luisset vt pecunia aestimaretur , frumentum aestimatum di-  
ctum est . Denique frumentum quod honorarium dicitur ,  
praesidibus honoris exhibendi , et benevolentiae captan-  
dae causa videtur oblatum . Plura dabit P. BVRMANN.  
de Vestig. P. R. c. 2. De scriptura et portoriis præcipua  
iam adduxi in Difser. de Iure Publ. P. R. c. 9. §. 14 ff.

## IVS CIVITATVM.

## §. XIX.

CIVITATES aliquæ peculiaria habebant iura , per Ius mu-  
quæ cum populo Rom. colligabantur , diuersa a iure re-nicipio-  
rum .

E

gio-

gionis in qua sitae erant, ideoque genera illarum speciatim lustranda. Agmen ducant Municipia, quorum ea erat conditio, vt suas leges, suos magistratus, suamque rempublicam haberent, essent tamen ciues Romani, munerisque honorarii cum populo Rom. participes. GELL. XVI, 13. Singulare quid erat quod suis legibus vterentur, et tamen essent ciues Romani, nam quibus ciuitas dabatur, illi amittebant ius suarum legum. Patet hoc ex eo quod scribit LIV. IX, 43, Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt quam ciuitatem, suae leges redditae: et paulo post c. 45 negant Aequi, Hernicos factos esse Romanos quod suas leges Romanae, ciuitati praecoptauerint. Cum lege Iulia ciuitas est socii et Latinis data, magna contentio Heraclienium et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis ciuitatibus foederis sui libertatem ciuitati anteferret. CIC. pro Balb. c. 8. Qui itaque iure suo non vtebantur, non erant municipes, hinc diligenter monet GELL. XVI, 13 municipes nullis aliis necessitatibus, neque vlla populi Rom. lege fuisse adstrictos, nisi in quam populus eorum fundus factus esset, et merito SPANH. in O. R. Exerc. I, c. 12, p. 68 reicit sententiam Sigonii statuentis, municipia suffragio ornata, suis legibus spoliata esse. Alterum ius municipum laudat GELL. l.c. quod munericum cum populo Rom. honorarii participes fuerunt, quod significare videtur, eos ad honores Romae gerendos admissos esse. Municipium Tusculanum vocat CIC. pro Planc. c. 8 antiquissimum, ex quo plurimae familiæ sunt consulares, quot e reliquis municipiis omnibus non sunt, et nominatum appellat M. Catonem, T. Coruncanium, Fabios. De municipio Aricino dicit Philip. III, 6. Hinc Voconiae, hinc Scatiniae leges: hinc multae sellae curules. Hanc etiam ob caussam Cicero censebat municipibus duas esse patrias, unam naturae, alteram ciuitatis, quam

rum posteriorem caritate praestare necesse ducebat de  
Leg. II, 2.

### §. XX.

NEQUE tamen omnia municipia iure suffragii et ho- Differen-  
norum ornata fuerunt, sed ut bene obseruauit SPANH. tia muni-  
in O. R. Exercit. I, c. u, p. 63, vrbi viciniora ferme fue- cipio-  
runt, ac inde suburbana Latii municipia, quibus data rum.  
primum cum iure suffragii ciuitas. Quanti antiquitas et  
vicinitas municipiorum interfuerit ad honores Romae con-  
sequendos ostendit cic. c. 8. pro Planc. dicens: *Hic est e prae-  
fectura Atinoti, non tam præfca, non tam honorata non tam  
suburbana.* Primi municipes sine suffragii iure Caerites sunt  
facti. GELL. XVI, 13, distabant enim longius ab vrbe, in  
Etruria siti. Sic et alias legimus dudum fuisse munici-  
pes, sed ius suffragii ex longo satis interuallo consecutos. De Formianis Fundanisque municipibus et Arpinati-  
bus C. Val. Tappus trib. pl. promulgavit, ut iis suffragii la-  
tio, nam ante sine suffragio babuerant ciuitatem, esset. Ro-  
gatio perlata est, ut in Aemilia tribu Formiani et Fundani;  
in Cornelia Arpinates ferrent. LIV. XXXVIII, 36. Accidit  
hoc interiectis centum et quindecim annis, notante  
SPANH. l.c. p. 41. De tribus municipum generibus, quae  
Festus satis perplexe descripsit, vid. ID. c. 12, p. 70 sq.  
Paullatim enim municipes abusive dicti, qui proprie non  
erant. L. i. D. ad Municip. Municipia per Italiam con-  
stituta recenset SIGON. de A. I. It. L. II, c. 9. postea et-  
iam per prouincias disseminata sunt.

### §. XXI.

COLONIAE ex aduerso iura institutaque omnia po- Ius colo-  
puli Romani, nihil sui arbitrii habebant, earumque con- niarum.  
ditio erat obnoxia. GELL. XVI, 13. Leges accipiebant a  
curatoribus coloniae deducendae, qui nunc triumviri,  
nunc

nunc quinqueuiri, nunc plures creabantur, qui que et agros diuidebant, et legibus praescriptis coloniam ordinabant. Regendae reipublicae coloniarum praeerant senatus et magistratus. Senatores in coloniis decuriones vocabantur, eorumque ea erat dignatio, ut non omnes sine discrimine admitterentur. Discimus e c.c. ad Fam. VI, 18, dubitatum esse, an, qui aliquando praeconium fecissent, decuriones fieri possent? Rescripsit, in lege esse, eos qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent non vetari. Magistratus erant Duumuiiri, qui respondebant consulibus, aut si maius praetoribus, Centores, Aediles et Quaestores. Capuani probabant arrogiantiam, quod, cum ceteris in coloniis duumuiiri appellentur, bi se praetores appellari volebant. contr. Rull. II, 34. Plura de Republica coloniarum vid. apud s i e o n. de A. I. It. L. 2, c. 4. Illud adhuc addam, Romanos in deducendis coloniis eo respixisse, ut essent propugnacula imperii contra incursum hostiles, et ut ad bella pecuniam militesque suppeditarent. A. V. 450 Albam colonia deducta in Aequos. Hi coloniam aegre patientes, velut artem suis finibus impositam, summa vi expugnare adoriebantur. LIV. X, 1. Tempore belli Punici II, cum XII coloniae milites pecuniamque negarent, consules monebant: quae liberi parentibus deberent, ea illos Romanis debere, si villa pietas, si memoria antiquae patriae esset. Reliquae coloniae ostendebant, milites ex formula paratos esse, quicquid aliud imperaret velletque populus Rom. enixe facturos. LIV. XXVII, n.sq. Ex dictis intelligitur obnoxia coloniarum conditio.

### §. XXII.

Differen- DIFFEREBANT coloniae ratione iurium, quod tiae colo- aliae erant ciuium Romanorum, aliae Latinae. Illud agi- niatum. tabant, scribit LIV. XXXIX, 55, uti colonia Aquileia de- duce-

duceretur, nec satis constabat utrum Latinam, an ciuium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam potius coloniam deducendam patres censuerunt. Dissimilitudo quae virasque inter se discreuit, docente SIGON. de A. I. I. L. 2, c. 3, in eo sita fuit, quod Romanae coloniae ius priuatum ciuium Romanorum, libertatis, connubiorum, patrium, legitimi dominii, et testamentorum habuerunt; Latinae autem omnis expertes fuere ciuitatis, adeo ut ciues Rom. qui in colonias latinas proficierentur, Romanam ciuitatem amitterent. CIC. pro Caecin. c. 33. Ad ius vero suffragii et honorum quod attinet, se facile adduci dicit Siginus, ut credat, neutrum eorum iurium colonis patuisse. Confidentius negat SPANH. O. R. Exerc. I, c. 9, p. 51, clara satis extare ratus vetera monumenta, quae id liquidum reddant. Addendum teneo, Latinos qui in colonias Romanas adscripti sunt, idcirco iura aequalia cum ciuibus Rom. non consecutos. Ita enim LIV. XXXIV, 41: *Nouum ius a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, ciues Romani essent.* Quod vero statim subiicitur: Puteolos, Salernumque et Buxentum adscripti coloni, qui nomina dederunt, cum ob id se pro ciuibus Romanis ferrent, senatus iudicauit non esse eos ciues Romanos, illud itidem intelligendum arbitror de Latinis qui nomina dederunt, coloniae enim ipsae omnino fuerunt ciuium Romanorum, idque ex cap. 44 manifestum est. Colonias intra Italiam recenset VELL. PAT. I, 14, 15, et in legibus Gracchi inter pernicioseissimas numerat II, 15 quod extra Italiam colonias posuit. Prima earum Carthago condita est. Etiam in prouinciis colonias ciuium Romanorum et Latii antiqui distinguit, et quot numero virosque generis deductae fuerint enarrat PLIN. in Hist. Nat. L. III, c. 4 et 6, L. IV, c. 22, L. V, c. 4. Postremis reipublicae temporibus nullae fere nisi militares coloniae deductae sunt, ut veterani

E 3

prae-

praemium caperent laborum suorum. vid. SIGON. de A. I. I. III, 4. Coloniae iuris Italici non sunt huius loci.

### §. XXIII.

Praefecturae.

PRAEFECTURA ita dictae sunt, quod praefectos Roma accipiebant, qui eas administrarent ac ius dicerebat, quod tamen non ita factum, ut omnium praefectorum eadem esset conditio. Campani cum ad Annibalem defecissent, et armis superati in potestatem Romanorum rediissent, habitari tantum tanquam vibem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse: praefectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros. LIV. XXVI, 16. Hanc formulam praefectoriae vrbis Capuae allegans SIGON. de A. I. I. L. 2, c. 12 monet, doctrinam de praefectoris, ad Capuae normam aut exemplum dirigi vniuersam non debere, quia ea asperius multo est, quam ceterae solerent praefectoriae, tractata. Et sane, dum ex CIC. pro Planc. c. 8 et 9, discimus, quam dicit praefectoriam Atinatem simul municipium fuisse, intelligimus, idem oppidum et praefectoriam esse potuisse, quatenus ei praefectus iurisdictionis caussa mitteretur, et municipium, quatenus iure ciuitatis vteretur. Praeter praefectos qui ius dicturi essent, Roma missos, praefectoras habuisse consilium publicum, ordinem equestrem, magistratus e praefectoria creatos, qui publicae curationi alicui praessent, vt aediles et quaestores, pluribus docet SIGON. l. c.

### §. XXIV.

Ciuitates foederatae.

QVAE praeter commemoratas ciuitates aliae in Italia fuerunt magno numero, dictae sunt foederatae, quod cum populo Rom. alicuius quidem iuris societate deuinctae, in caeteris tamen liberae fuerunt, et senatum suum,

um, magistratum legesque suas habuerunt, adeo ut etiam exili⁹ cauſſa in ciuitates foederatas commigrare ciui- bus Romanis liceret, ut quae liberae eſſent. Paullatim tamen ad reuerentiam praefandam compulsi ſunt, quod vnde coepit, narrat LIV. XLII, i. L. Postumius Conſul, iratus Praenestinis, quod cum eo priuatus, ſacrificii in templo Fortunae faciendo cauſſa, profectus eſſet, nibil in ſe honorifice, neque publice neque priuatim factum a Praeneſtinis eſſet; priusquam ab Roma proficiceretur litteras Praeneſte misit, ut ſibi magistratus obuiam exiret, locum publi- ce pararet ubi diuertetur, iumentaque cum exiret inde praefecto eſſet. - - - Silentium nimis aut modestum aut timidum Praenestinorum, ius, velut probato exemplo, magiſtribus fecit, grauiorum in dies talis generis imperiorum. Sic quoque inualuisse puto, quod dicit PROCVLVS in L. 7. §. 2. D. de Capt. et Poſtl. Fiunt apud nos rei ex ciuitatis foederatis, et in eos damnatos animaduertimus. Difficultates, quas hoc effatum faceſſiuit GROTIUS I. B. ac P. I, 3, 21, & ſgg. aliisque, euaneſcunt omnes, modo verba JCTI non de aliis ciuitatibus accipiamus, quam de quibus hic fermo eſt.

### §. XXV.

REſTANT forā et conciliabula, quorum vocabulo-Fora et rum receptor significatus fuit, ut forā denotarent loca concilia- in quibus ius diceretur, quod comprobant notissimae lo- bula. cutiones: forum indicere et forum agere. Conciliabula autem erant loca, in quibus nundinae habebantur. De ambitu cum latum eſſet ad populum a C. Poetilio, ea rogatione nouorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas et conciliabula obire ſoliti erant, compressam cre- debant. LIV. VII, 15. Plura dabit SIGON. cit. L. 2, c. 15.

### DATIO

## DATIO CIVITATIS ROMANAЕ.

## §. XXVI.

Datio ci-  
uitatis an-  
tiqua.

CIVITAS Romana dabatur recipiendo in communi-  
onem iuris cum ciuibus Romanis, quod siebat nunc li-  
beralius nunc difficultius, nunc plenius nunc restrictius.  
Primis vrbis temporibus vrebantur ciuitatis datione tan-  
quam medio augendi numerum ciuium, quod vehemen-  
ter laudat c.c. pro Balb. c. 31 dicens: *Illiud vero sine omni  
dubitacione maxime nostrum fundavit imperium, et populi  
Romani nomen auxit, quod princeps ille creator huius vrbis  
Romulus, foedere Sabino docuit, etiani boſib⁹ recipiendis  
augeri ciuitatem oportere.* Ita autem recipiebantur, vt  
ciuitatem vnam ex duabus facerent, regnum confocia-  
rent, imperium omne conferrent Romam. LIV. I, 13.  
Eodem modo post captam et incensam a Gallis vrbem,  
in ciuitatem accepti, qui Veientium Capenatiuumque ac  
Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, ager-  
que iis nouis ciuib⁹ assignatus. LIV. IV, 4. Atque hic  
fuit modus antiquissimus dandi ciuitatem.

## §. XXVII.

Progres-  
sus.

LATINI; qui Romam caput Latio esse permis-  
serant, vrebantur quidem iure, proxime ad ciuitatem Ro-  
manam accedente, sed quod tamen idem non erat cum  
iure ciuium Romanorum. Semper infesti Romanis cum  
fuissent aemulatione imperii, tum vero contemptu vrbis  
a Gallis incensa, ius ciuitatis, partem imperii ac magi-  
stratum poſcebant. FLOR. I, 14, 1. Negat SALMAS. in  
not. ad h. l. Latinos ciuitatem Romanam petuisse, nec  
enim pluris eam fecisse quam suam. Contrarium vero  
vel ex eo patere arbitror, quod, cum deliberandum es-  
set, quonam modo perpetua pace quieti obtineri pos-  
ſent

sent Latini, duo in consultationem venire ostendebat consul, vellente saeire in viatos, an exemplo maiorum augere rem Romanam, viatos in ciuitatem accipiendo? addens, firmissimum longe imperium esse, quo obedientes gaudent. Apparet hinc, Latinos omnino cupiditate ciuitatis flagrasse, et cum senatus censeret pro merito cuiusque statuendum esse, *Lauinis ciuitas data.* *Aricini Nomentanique et Pedani eodem iure quo Lauini in ciuitatem accepti.* *Tusculanis seruata ciuitas quam habebant.* LIV. VIII, 14. Quale autem ius ciuitatis nacti sint, docet ID. c. 17. Eodem anno *census actus*, nouique ciues censi: tribus propter eos additae Metia et Scaptia: censores addiderunt Publil. Pibilo, Sp. Postumius. Data igitur his est cum suffragij latione ciuitas. Aliis honoris caussa ciuitas sine suffragio data. c. 14 ib. Atque hinc perspicimus progressus datae ciuitatis.

### §. XXVIII.

**E**X ARDESCEBANT tandem omnium Latinorum Ita-  
lorumque animi ad optimum ius ciuium Romanorum sociale,  
consequendum, eorumque caussa, iudice VELL. PAT. II,  
15, erat iustissima, petebant enim eam ciuitatem, cuius  
imperium armis tuebantur, quae per eos in id ipsum per-  
uenerat fastigium, per quod homines eiusdem et gentis  
et sanguinis, vt externos alienosque fastidire posset. In  
hanc spem cum a Fulu. Flacco, C. Graccho, et inprimis  
a Liuio Druſo erecti essent, hic autem, antequam illam  
de ciuitate legem perferret, domi suae, incertum a quo,  
necatus esset, irarum pleni aduersus populum Rom. con-  
spirabant, Latium omne atque Picenum, Etruria omnis  
atque Campania, postremo Italia contra urbem consur-  
gebat. Primum fuit belli in monte Albano consilium;  
vt festo die Latinarum Julius Caes̄ar et Martius Philippus  
Coss. inter sacra et aras immolarentur. Postquam id ne-

F

fas

fas proditione discussum est, Asculo furor omnis erupit, trucidatis qui tum aderant ab vrbe legatis. Inde iam passim ab omni Italiae parte signa cecinere. **FLORVS III,** 18. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, vt per biennium continuum duo Romani consules ab hostiis occiderentur, exercitus populi Rom. multis in locis funderentur, vtque ad saga iretur, diuque in eo habitu manereretur. Id bellum amplius trecenta millia iuuentutis Italiae abstulit. **VELL. PAT. II,** 15, 16.

### §. XXIX.

Ciuitas  
Italiae  
data.

DVRANTE adhuc bello, a L. Jul. Caesare, P. Rutilii in consularu collega, vid. SPANH. O. R. Exercit. I, c. 10, p. 59. ferebatur lex, vt qui populi ad eam diem in fide mansissent, ciues Romani essent, quae est celebratissima illa lex Iulia, de ciuitate cum sociis et Latinis communicanda. Confecto tandem bello, beneficium legis Iuliae, annidente Cn. Pompeio Strabone consule, amplificatum, et vniuersis Italica ciuitates data, qua de re dicitur in LIVII Epit. lib. 80. *Italicis populis a senatu ciuitas data est, iis nempe, qui soli inter Italos nondum arma deposuerant, Lucanis ac Samnitibus.* Qua lege autem ciuitas data fit, memoriae prodidit VELL. PAT. II, 20. Cum ita ciuitas Italiae data esset, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues, ne potentia eorum et multitudo, veterum ciuium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam autores beneficii; *Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est.* Tentauerat id iam ante P. Sulpicius, tribunus pl. de quo legimus in LIVII Epit. lib. 87 pernitiosas leges promulgasse, vt noui ciues distribuerentur in tribus. Adit SPANH. l.c. p. 60 distributionem illam, etsi repugnatibus acerrime antiquis ciuibus, ne noui ciues sibi suffragiorum numero aequarentur, tandem obtinuisse. De coloniis, praefecturis, oppidis foederatis, foris et conciliabilis,

lis, quanquam vix dubitari potest quin, cum vniuersi Italiae populi ciuitate Romana donati sunt, simul cum ipsis communicata sit, tamen id sigillatim confirmare non praetermisit SIGON. de A. I. I. L. III, 13.

### §. XXX.

GALLIA, quia ab Italia semper fuerat segregata, et Galliae quomodo exterae regiones solerent, gubernata, nec lege data. Julia, nec lege Pompeia beneficij iuris ciuitatis particeps facta erat, quod posterius Sigonio affirmanti non concedendum esse, curate euincit SPANH. O.R. Ex. I, c. n. vbi, praemissio testimonio Strabonis, post Italos in ius ciuitatis acceptos, placuisse eodem honore dignari Gallos Cisalpinos ac Venetos, omnibusque Italorum et Romanorum nomen tribuere, de ciuitate Gallis data ita statuendum esse docet. Gallia Cisalpina diuidebatur in Cispadanam et Transpadanam. Ex his Cispadana, post Romanam ciuitatem toti Italiae impertitam, itidem mox ciuitate cum iure suffragii donata, an vero id lege Pompeia, sit factum, non licet hodie statuere. Transpadanis autem ius tantum Latii concessit Pompeius Strabo, iisque demum a Iul. Caesare dicitore in ciuitatem, quam frustra vnum e duobus censoribus antea voluerat iis impertiri, sunt recepti. Probationes vid. l. c.

### §. XXXI.

EXTRA Italiam ciuitas primo singulis quibusdam data est, ob merita in populum Rom. et ad eam rem iussu liam data. populi opus erat. Sicutus quidam, nomine Mutinis, quod cum equitatu suo ad Romanos transferat, ciuis Romanus factus, rogatione ab tribuno plebis, ex auctoritate patrum ad plebem lata LV. XXVII, 5. Postea leges hanc in rem ita ferri coeperunt, vt in antecellum potestas fieret ciuitate donandi. Lege Apuleia Saturninus C. Mario tulerat: ut in

*singulas colonias ternos ciues Romanos facere posset, c. 1c. pro  
Balb. c. 21, et lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex se-  
natus sententia tulerunt, sanctum est, ut ciues Romani sint  
ii, quos Ca. Pompeius de consilii sententia sigillatum ciuitate  
donauerit. ib. c. 8. Sumserunt sibi id in primis duces bellici,  
quippe quibus ius dandi ciuitatem potissimum decerni so-  
lebar, ut ciuitate donarent, non solum singulos, qui sua  
virtute rem publicam defendissent, sed et vniuersos quos-  
dam hoc praemio afficerent. Ira P. Crassus cohortes duas  
vniuersas Camerium, et Heraclensium legionem ciuitate  
donasse dicitur Orat. cit. c. 22. vbi praeter alia exempla et-  
iam commemoratur, Cn. Pompeium et Mamertinos obui-  
os, et quosdam Vticenses, et Saguntinos fabros ciuitatem do-  
nasse. Postea Iul. Caesar Gaditanis vniuersis ciuitatem de-  
dit, quam dein populus ratam esse iussit. DIO CASS. L. 41,  
p. 164. Quod semel priuato ausu facere cooperat, id postea  
rerum potitus, quasi iure sibi competente et publice agni-  
to, fecit. Demetrio Megae, Siculo, Dolabella Ciceronis ro-  
gatu ciuitatem a Caesare impetravit: alii plane hoc Caesaris  
beneficium vendiderunt, ut propterea tabulam, in qua no-  
mina ciuitate donatorum incisa essent, reuelli iuberet. cic.  
ad Fam. XIII, 36. Caesare interremto, quasi ex eius com-  
mentariis ciuitas data non solum singulis, sed nationibus et  
provinciis vniuersis a mortuo. Philipp. I, 10, auctore M. Anto-  
nio collega Caesaris in consulatu, qui, cum concordiae  
causa placuisse ut acta Caesaris conseruarentur, quae de-  
stinatis suis inferuiebant, tanquam leges Caesaris profere-  
bat et ficebat. De eo scribit cic. ad Attic. XIV, 12. Ecce  
Antonius accepta grandi pecunia, fixit legem a Dictatore co-  
mititis latam, qua Siculi ciues Romani; cuius rei, viuo illo, men-  
tio nulla, vnde perspicimus, extremis reipublicae temporis-  
bus largitionem ciuitatis plane effuse fieri coeptram. vid.  
pluribus SPANH. Orb. Rom. Exerc. I,*

c. 13 et 14.



PRAE N O B I L I S S I M O D O M I N O

RESPONDENTI

A M I C O S V O S V A V I S S I M O

S. P. D.

PRAESES.

*E*x quo tempore iuris Romani doctrina in Occidente  
instaurata est, non eadem ratione praeceptis eius illu-  
strandis et explicandis operam nauarunt, qui in illud  
commentati sunt, vnde distinguntur diuersae ICto-  
rum scholae. Irneriani brevia conscripserunt scholia:  
Accurſiani prolixiores ediderunt glossas: Bartolus di-  
ſputationes dialeſticas in iurisprudentiam inuexit, et  
quaeftiones proponendo, ſubtiliterque diſtinguendo,  
calumniae forenſi fores aperuit. Alciatus litteras ele-  
gantiores, hiſtoriam et antiquitates in ſubſidium voca-  
uit, et hoc iuſtituto occaſionem dedit, ut Humaniſtae  
appellarentur, qui eius veſtigiis iuſſerent, in oppoſi-  
zione ad Realiſtas, qui ad quaeftiones, in foro emer-  
gentes, omnem iura traçtandi rationem reſtringerent.

Si



Si qui hodie supersunt Realistarum principis imbuti,  
illis parum forte probabitur haec dissertatio, reprehendent enim, nihil in ea contineri quod ad fo-  
rensem causarum disceptationem, ad persecutio-  
nem iuris momentum habeat, sed non  
est cur magnopere commoueamur. Demus sane Rea-  
listis, ICto in id esse emitendum, ut iustum ab iniusto  
discernendi, leges ad facta applicandi, iudicia exercen-  
di, calumniantium iniquitates per legitimos tramites  
expellendi, facultate instructus sit; allaboremus nos  
ipsi, ut hos habitus consequamur, sed non negliga-  
mus ideo historiae et antiquitatum adminicula, quibus  
ad ius receptum penitus intelligendum subleuamur.  
Sed de his satis. Iam ut te quoque compellem,  
**PRAENOBILISSIME DOMINE RESPONDENS**,  
laudo omnino quod curriculum Academicum non sine  
specamine publico emetiendum duxisti, quod honesta  
ardes cupiditate innoscendi, et aditum ad Patrono-  
rum fauorem colligendum **TIBI** facilitandi. Appre-  
cor prosperos successus, et fructus laetissimos, quibus  
Themis cultores suos beat: me vero ut amare pergas  
etiam atque etiam a te peto. Scrib. Helmstadii  
die XX Mart. MDCCCLXVI.







**ULB Halle**  
005 350 883

3







Farbkarte #13

933  
1766, 3

DISPUTATIO IVRIDICA  
DE  
IVRE PUBLICO  
ORBIS ROMANI  
SVB LIBERTATE  
QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
P R A E S I D E  
D. CAROLO ANTONIO KEVFFEL  
IN IVLEO MAIORI  
A. D. XXII MARTII MDCCCLXVI  
PVBLICE DEFENDET  
ANASTASIUS SIGISMUNDVS CVNO  
BRVN\$VICENSIS  
LL. CVLTOR ATQVE SOCIET. TEVT. BVC.  
COLLEGA ORDINARIUS.

TYPIA VIVAE B. PAVL. DIET. SCHNORRII,  
ACAD. TYPogr.